UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio Decalogi Duabus distincta partibus

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes, mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

Requiritur pretium determinatum, numero 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

Visual Library

pacto aliquo juſto in contrarium, quo contrahentes nolint ante pretium ſolutum transferri dominium, ſed haberi pro locata, v. g. vel pro accepta in pignus &c.

a *Leſſ. l. 8. c. 21. dub. 1. num. 1. alijque.* aa *Caſtrop. de juſt. con. d. 5. p. 26. alijque ib. c.*

3. Dictum eſt ſecundo, (abſoluto conſenſu) ſi enim fuerit conditionalis, tunc perficietur contractus, quando fuerit adimpleta conditio. Atq; adverte, obligationem tunc retrotrahi *b* vſque ad tempus initi contractus, perinde ac venditio & emptio ab initio fuiſſent abſolutè celebratæ, idem cum eadem retrotractione, dic, quando requiritur ratihabitio alterius: eſt enim tunc venditio conditionata, in hunc ſenſum: *vendo tibi hoc prædium, ſi tuus pater ratum habuerit.* Quando autem in hoc caſu, & cui debebitur gabella venditioni impoſita, dicam mox numero 5.

b *Mol. t. 2. d. 337. Leſſ. l. c.*

Requiritur pretium determinatum.

4. Dictum eſt tertiò, (pretio certo) niſi enim certum ſeu determinatum pretium conſtituatur, invalida *c* erit venditio. Quare ſi quis dicat, *vendo tibi hanc veſtem juſto pretio, vel quanti volueris, quanti judicaveris, quanti concordabimus, quanti judicauerit expertus* d: invalida erit venditio, quia certum pretium non conſtituitur. Contra, ſi ita venditio & emptio fiat, *emo à te hanc veſtem, quanti tu emiſti, vel quanti emit ille, vel emo ea quantitate pecuniæ, quæ eſt in hac crumena,* valida erit venditio, quia jam adeſt certum, ac determinatum pretium. Propter eamdem rationem valet venditio, ſi dicas, *emo hanc rem eo pretio, quo communiter hæ res venduntur tali die, tali menſe, talibus nundinis;* quodſi in ijs diebus fuit varietas pretij, illud erit eligendum, quod majore parte illius temporis viguerit.

c *Mol. Leſſ. l. c. l. Bald. in l. contractus n. 8. c. de fide inſtrumentorum.* d *hanc valere putat Angelus, v. emptio.*

Quid ſi æque viguerit pretium, ſummum, medium, infimum? reſpondeo, rationabile eſſe ſumi medium; ſic enim neutra pars conqueri poteſt. Si quis ita dicat, vendo, vel emo, quanti tertius ille decernet, deſignando illum tertium v. g. Petrum, licet partes retrocedere poſsint mutuo conſenſu, tamen contractus non erit validus, niſi quando Petrus pretium conſtituet: in hoc autem caſu obligatio non retrotrahitur, quia hæc non eſt venditio conditionata, cui conceditur illa retrotractio, ſed ſolum eſt per alium determinandum pretium.

Quæſtio incidens pro Gabellarijs.

5. Inquires obiter, cuinam debetur in his venditionibus gabella, ſi fortè ea ſit venditioni impoſita? reſpondeo, in illis, quibus adfuit indeterminatio pretij, non debetur gabellario, qui eſt, quando fit venditio, ſed gabellario, qui eſt, quando determinatur pretium. Ratio eſt, quia gabella imponitur venditioni: at, ut modo diximus, tunc perficitur ſubſtantia vendi-